

**A** dunt, & in epialis, ac lipialis, necnon etiam in ardentibus nonnullis febribus extrema frigent immodicè; Solum verò cor, & partes illi vicinæ calent. Quòd si postea in plurimis febribus calor expanditur à corde in vniuersum corpus, non propterea totius corporis febris passio dici debet; sicut nec syncope, nec stupor, aut resolutio. Quorum illa cordis passio, & interim vniuersæ actiones corruunt, hæc verò neruorum mala sunt, & dicuntur: quanquam postea reliquæ partes, quæ vim sentiendi, & mouendi à neruis recipiunt, mali sociæ euadant. Quòd si quis dicat nec cor ipsum perpetuò calere, quando homines, qui ex febre moriuntur, frigidum expirant: & per initia accessionum pulsus parui eduntur; is planè errat: quum in his, qui frigidum expirant, dum moriuntur, amplius non sit febris, sed frigidus morbus ex caloris dissolutione natus: vel quòd ob defectum spirituum transmitti nequeat calor, qui cordis substantiam occupat. Pulsus verò initio accessionum parui eduntur, non quòd calor non exuperet in corde, sed quòd refrigeratæ sint arteria recedente calore ad interna viscera. Atque ex hoc illud quidem sequitur eos errare, qui ponunt morbum in permanente

**B** quadam dispositione, siue (vt aiunt) in facto esse. Nam quum febris omnis substantiæ, partiumque similarium ipsius cordis sit passio, si morbus omnis esset ponendus in facto esse, sola hæctica febris esset; Siquidem in alijs humores, & spiritus sunt excalescenti, substantia verò cordis est in ipso calefieri. Lædit porro febris omnes functiones naturales (inquàm) vitales, & animales, propterea quòd commune illarum instrumentum, nempe calor natiuus in omni febre lædatur. Ex quibus quidem patet quæ ad essentiam ipsius febris pertinent. Docuimus enim morbum esse, non causam morbi, nec symptoma, quum nec actio læsa, nec excrementum, nec qualitas aliqua sit ex primis nata; Et eum quidem morbum esse similarium partium, & simplicem, solo scilicet calore excedente; & qualis sit huiusmodi calor, & cuius sit passio ipsa febris, quasque actiones lædat. Ex quibus omnibus potest elici huiusmodi definitio: Febris est intemperies calida præter naturam in corde omnes actiones corporis lædens. Poteritque medicus hoc vno exemplo intelligere, quo modo de essentia cuiuscunque affectus, morbi præsertim sit disputandum, si res controuersia sit. Nam vbi illa patet, frustra laborandum non est. Ac post essentiam genera, differentiæ, & partes morborum explicandæ. Porro differentiæ enumerandæ non omnium morborum, sed quas præsens recipere potest, & quæ curationem mutant. Docendum enim est, si forte de febre aliqua dicendum sit, quòd morbus sit similarium partium, quum sit intemperies, quòd ea calida; quòd diaria, vel putreda, vel hæctica, quòd est genera docere; quòd sit continua, uel intermittens; simplex vel composita; benigna, vel maligna; magna uel parua; acuta vel non acuta; ordinata vel inordinata; æqualis vel inæqualis, ex hac vel alia causa nata; mordax ad tactum vel mitis; & similia: quod quidem est differentias, quæ præsentim malo conueniunt commemorare. Neque enim eadem in omnibus locum habent, & quæ habent, haudquaquam prætermittendæ, quæ ad curationem, & prædictionem faciunt. De partibus verò morbi ignorandum non est; an in prima parte siue principio sit, aut in secunda potius, id est, augmento, vel in vigore: aut iam remissionem, id est, vltimam obtineat, quando item inceperit, & quamdiu durauerit. Nec omittere oportet explanationem particularium temporum; videndumque

**D** an aliquas accessiones habeat, & quales, an scilicet longas, vel breues; graues vel leues, ordinatas, vel ordine carentes, æquales vel inæquales; vno vel alio modo, aut tempore inuadentes, incrementales, vigentes, & declinantes. Quid item in omni parte fiat; quomodo scilicet in febribus incipiat, an cum horrore, vel frigore, aut vomitu, aut alio modo, quando incipiat calor emergere, quamdiu duret horror, quando incipiat sudor; an cum vigilia, vel syncope, aut alio symptomate vrgeat; quoque tempore hæc infestent, an scilicet ab initio vel incremento, aut in vigore, aut declinatione accessionis, aut per vniuersam accessionem hæc perdurent; quo modo desinat accessio, an per excretionem, vel coctionem, uel aliter, an ad purum interuallum perueniat; an potius aliquid semper relinquat ex priore accessione; quænam partes longiores, principium ne, an incrementum, an vigor, vel declinatio. Eadem uel similia in singulis accessionibus pro illorum natura notanda. Hæc enim omnia viam parant ad prædictionem, & curationem: quæ nisi pateant, signa adferenda, quæ persuadeant, quod asserimus. Dicit ergo medicus, exempli causa, si forte

**E** in semitertianam febrem inciderit, febrem hanc esse putridam, compositam, magnam, continuam, sed quæ exacerbationes habeat inæquales, longas, ordinatas quidem, sed confusas, graues præsertim alternis diebus quæque cum horrore, uel etiam solo frigore ubi scilicet nota est febris, inuadant, item quòd calor illarum difficilè emergat, longumque sit accessionis principium, & incrementum; declinatio verò sæpe sequatur cum leui sudore; grauis autem sit vigor. Denique vniuersam illius naturam depinget, illiusque omnes differentias percurret, quas obtinet, vt Febris huiusmodi est; & quas postea recipit, ut ab alijs semitertianis discrepat; adferetque indicia, quibus probet & eam semitertianam esse, & omnes eas differentias recipere. Cæterum de loco affecto etiam pertinet ad partem, quæ de causis agit, tractare, quando pars affecta causa quædam morbi est, tamen quoniam uix illius mentio prætermitti potest, quum morbi genera, & differentias percurremus: Ideo oportu- num est hic expendere, quænam sint de eo commemoranda. Quæret itaque medicus an vniuersum est hic expendere, quænam sint de eo commemoranda. Quæret itaque medicus an vniuersum

*Contra feruorem spiritus febr.**obj.**Aut ois morbus in facto.**Definitio febris.*